In nomine domini amen / Albertus dei gracia Saxonie / Angarie Vestfalie / Dux / et Comes de Bren / Omnibus Xpi
fidelibus / presentem paginam inspecturis in perpetuum / Cum quodque donum iuste ac racionabiliter collatum / propter infirmam / et labilem
hominum memoriam / sepius in dubium et oblivionem / soleat devenire / iustum / et cautum est / ut donaciones que memorie sunt revocande /
tam scripti demonstracione quam idoneorum testium professione / evidenti exprimantur / Igitur tenore presencium / universis / tam presentis / quam
futuri evi fidelibus innotescimus / quod venerabilis frater Johannes dictus Abbas / et Conventus fratrum / Cenobii Ihesu Xpi / et
beate Marie semper virginis / in Doberluch Ordinis Cysterciensis / Mysnensis Dyocesis ad emendacionem / et ad usus iam dicte Ecclesie /
duas villas quarum una Oppilwan altera quoque Schodewitz nuncupatur / necnon partem nemoris / silue / ac merice / cum omni iure /
et utilitate ac proprietate pro Ducentis Septuaginta Quinque marcis / Vribergensis argenti / libere / et absolute / a Bodone milite /
dicto de Ylebure de consensu omnium heredum suorum / iusto empcionis et vendicionis interveniente titulo comparaverunt / Termini autem
nemoris silue ac merice circa predictas villas / a nominato Abbate / et Conventu fratrum comparati / Incipiunt a signo quod est
situm iuxta fluvium qui Thornicke vocatur Dehinc vero multis aliis signis interiacentibus / usque per magnam Welkenoz / De
Welkenoz autem usque ad vadum qui locus vulgariter Vort vocatur / Ab isto loco plerisque aliis signis mediantibus / usque ad locum
qui Luch nuncupatur De isto loco usque ad locum qui Slavica lingua Bork quod Theutonice / Horst vocatur / Inde vero usque
Rachoz quod eciam dicitur Horst / in nostra lingua Abhinc per descensum usque ad locum quem Slavi Mozt vocant / hoc interpretatur
divisio / que scilicet divisio / dividit agros villarum inter Bordan et Oppilwan / Ab isto loco procedatur usque ad Stratam
publicam que directe ducit usque ad iam dictam villam scilicet Bordan Inde transitur per superiorem viam que Dipwec
vocatur directe per descensum usque Bruse / quod apud nos Vort / interpretatur / De isto loco usque ad agros ville que dicitur
Zetzowe Inde descenditur mediantibus aliis signis usque ad aquam que descendit super molendinum quod est ante villam Schodewitz
collocatum Ab isto molendino transitur directe per descensum eiusdem aque / usque ad siccam Alestram / De Alestra vero / directe usus eandem
aquam usque ad aliud signum quod est retro villam Schodewitz in monte superius collocatum / De isto transitur signo ad alium montem haut
procul ab eo positum / Novissime vero multis aliis signis mediantibus in via superiori directe per descensum constitutis / usque ad crucem /
Nos vero post liberam resignacionem predictarum villarum ac Terminorum a dicto Bodone milite de Ylebure in manibus nostris factam / ob honorem
gloriosissime dei genitricis et virginis Marie Et pro remedio anime nostre ac dilecte coniugis nostre necnon progenitorum nostrorum / predictas duas
villas cum Terminis prescriptis cum iudicio tam in ipsis villis quam in campis ad eas pertinentibus necnon cum omni iure / et utilitate /
quibus ipsas dictus miles Bodo / et eius progenitores dinoscuntur ab antiquo possedisse videlicet cum agris cultis et incultis / lignis /
pratis pascuis mellificiis piscacionibus viis / et inviis exitibus et reditibus aquis aquarumque decursibus molendinis iam constructis /
vel in posterum construendis eidem monasterio Doberluch contulimus / tradidimus et dedimus / proprietatis titulo perpetuo possidendas /
Rustici vero predictarum villarum in mellificiis habitis et habendis / extruendis et preparandis in merica / dicti Bodonis / omnem
libertatem habebunt quam dinoscuntur hactenus habuisse / Addicientes quod nullus heredum / seu successorum nostrorum / in predictis
villis ac Terminis processu temporis sibi valeat iuris aliquid vendicare / Ut autem hec nostra donacio / rata permaneat /
et robur perpetue firmitatis optineat hanc paginam super premissis confectam Sepe iam dictis / domino Johanni Abbati / et Conventui
memorati monasterii Doberluch dari fecimus in testimonium / sigilli nostri munimine roboratam / Datum in
Clodene / Anno domini Millesimo / Ducentesimo Nonagesimo Septimo / Decimo kalendas Octobris / In die Mauricii / et
sociorum eius Sanctorum Martyrum Thebeorum Presentibus Testibus infra scriptis / Ottone de Ylebure cognomento Slaws /
Ottone de Raus / Conrado dicto Pil / Conrado de Globik / Conrado de Bezgirsdorf / Hermanno de Klekewitz / militibus /
et fidelibus nostris Florencio capellano nostro et Martino nostro Notario Et aliis quam pluribus fide dignis.

.M.